

modi actus *hic et nunc*, « prout scilicet est impedimentum maioris mali, quod timebatur », est *simpliciter voluntarius*; sed *involuntarius secundum quid*, « idest prout consideratur extra hunc casum existens ¹ »; siquidem « involuntarius est sub conditione, idest, si talis metus non immineret ² ».

XX. VOLUNTARIUM VIRTUALE — FORMALE. *Voluntarium formale* est illud, quod procedit a voluntate per actum proprium. *Virtuale* autem est quod includitur in aliquo actu praecedenti, et ab eo consequitur. E. g., dum quis iter facit, singuli gressus dicuntur voluntarii *virtualiter*; quia procedunt ex voluntaria, efficacieque intentione, quae se commisit viae ³.

V

EFFATA

I. VELLE RERUM MUTATIONES, AUT CONTRARIA SUCCESSIVE FIERI, NON EST MUTARE VOLUNTATEM. Aliud nempe est mutare voluntatem, aliud velle aliquarum rerum mutationes. Tunc enim voluntas mutatur, cum incipit velle, quod prius non voluit, vel desinit velle, quod voluit. At potest aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod prius fiat hoc, et postea eius contrarium ⁴. Quocirca, ex eo quod Deus fieri alternis vicibus diversa, immo opposita velit, nihil contra Eius immutabilitatem argui potest, siquidem illa successio et varietas non quidem ipsum actum voluntatis Dei spectat, sed effectus Divinae voluntatis.

II. VERITAS RERUM NATURALIUM EST POSTERIOR INTELLECTU DIVINO; PRIOR INTELLECTU CREATO. Intellectus enim Divinus est mensura entitatis et veritatis rerum, quippe quae dicuntur verae, quatenus consentiunt cum Ideis Divinis ⁵. Ergo veritas rerum naturalium posterior est Intellectu Divino. At res naturales sunt mensura veritatis nostrorum conceptuum, quippe qui dicuntur veri, quatenus consentiunt cum ipsis rebus ⁶. Ergo veritas rerum est

¹ *1^a 2^{ae}*, q. VII, a. 6 c. — ² *Ibid.* ad 3. — ³ Vid. p. 178.

⁴ Vid. s. Thom., I, q. XIX, a. 7 c.

⁵ Vid. p. 381-82. — ⁶ Vid. *ibid.*

prior, quam veritas nostri intellectus ¹. Iam ex hoc ipso, quod res ipsae sint mensura intellectus nostri, atque earum mensura sint exemplaria Divini Intellectus, consequitur veritatem logicam, quae est obiectum nostri intellectus, ab ipsius intellectus aestimatione non pendere, sed in ipsa realitate rerum, et ideo in immutabilibus exemplaribus Divini Intellectus fundamentum habere.

Hoc unum satis est, ut refellantur tum veteres Sophistae, qui veritatem logicam non esse absolutam, sed relativam, tum recentes progressus assertores, qui illam mutari et progredi contendunt: « Non enim ita ideo est in re, quia videtur nobis; sed magis quia ita est in re, verum est quod videtur nobis ² ».

III. VERITAS NON SUSCIPIT MAGIS ET MINUS. Nempe, si accipiatur veritas prout est *adaequatio* rei et intellectus, non datur una veritas altera maior; nam ratio aequalitatis non suscipit magis et minus ³. Attamen si consideretur ipsum *esse* rei, in quo veritas fundatur, existit una veritas altera maior; quae enim sunt magis entia, sunt magis vera: « Cum veritas consistat in *adaequatione* intellectus et rei, si consideretur veritas secundum rationem aequalitatis, quae non recipit magis et minus, sic non contingit esse aliquid magis et minus verum; sed si consideretur ipsum *esse* rei, quod est ratio veritatis, eadem est dispositio rerum in *esse* et veritate; unde quae sunt magis entia, sunt magis vera; et propter hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia, quam conclusiones ⁴ ».

IV. VERUM ET BONUM CONVERTUNTUR. Tum enim bonum, tum verum convertitur cum ente ⁵. Ergo ipsum bonum convertitur cum vero, seu bonum et verum idem sunt *secundum rem*. Ea tamen differre *ratione* patet ex eo quod *bonum* respicit appetitum, *verum* autem cognitionem. Hinc sequitur ut verum *secundum rationem* sit prius quam bonum; cognitio enim naturaliter praecedat appetitum ⁶. Cir-

¹ Vid. s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 2.

² *In lib. I Sent.*, Dist. XIV, q. V, a. 2 ad 2.

³ « Una quippe est veritas, nec in partes divisa »; s. Ioann. Chrysost., *In Matth. Hom.* XLVII, al. XLVIII, n. 2.

⁴ *Qq. dispp.*, *De Virtut.*, q. II, a. 9 ad 1.

⁵ Vid. p. 45, et p. 383. — ⁶ I, q. XVI, a. 4 c.

ca hoc effatum s. Bonaventura advertit ipsum intelligendum esse *circa idem*. « Unde si res est vera, est bona; et si signum est verum, est bonum; sed tamen non sequitur quod, si signum sit verum, signatum, sive res sit bona; et ideo hic est fallacia accidentis: omne verum est bonum; sed illud furari est verum; ergo illud furari est bonum: ex variatione minoris extremitatis. Verum enim praedicatur de illo dicto ratione compositionis, cum sit dictio modalis, bonum verum ratione attributionis ¹.

V. VERUM NON EST VERO CONTRARIUM. Nempe solum falsum repugnat vero. Ex hoc effato, quod evidens ex se est, Theologi, duce s. Thoma, evincunt veritatem Fidei contrariam esse non posse illis principiis, quae ratio naturaliter cognoscit ². Ex eodem effato etiam consequitur, ut id, quod *simpliciter* est verum, numquam falsum esse possit; alioquin verum sibi metipsum repugnaret ³.

VI. VERITATE UNA VERA SUNT OMNIA. Quod effatum hoc modo explicandum est: Omnia quae sunt, si ad intellectum Divinum referantur, una veritate Divina vera sunt. Unus enim et simplicissimus est intellectus Divinus. At si veritas accipiatur prout ad intellectum creatum refertur, perspicuum est non omnia esse vera una veritate, quia intellectus creati sunt diversi, et unus intellectus pluribus actibus plures veritates cognoscit ⁴. Si denique veritas *improprie* dicta consideretur, nempe si inspiciantur res, quae dicuntur verae, tunc statuendum est plurium rerum plures esse veritates, et unius rei unam esse veritatem. Res enim diversae sunt invicem, et unaquaeque earum est una: « Ratio veritatis in duobus consistit, in esse rei, et in apprehensione virtutis cognoscitivae proportionata ad esse rei. Utrumque autem horum, quamvis reducat in Deum, sicut in causam efficientem et exemplarem, nihilominus tamen quaelibet res participat suum esse creatum, quo formaliter est, et unusquisque intellectus participat lumen, per quod recte de re iudicat, quod quidem est exemplatum a lumine increato. Habet etiam intelle-

¹ In lib. I Sent., Dist. XLVI, a. I, q. 4 ad arg.

² Cont. Gent., lib. I, c. 7.

³ « Varia, multiformis, et confusa res est error, veritas autem una »; s. Ioann. Chrysost., In Ep. ad Rom., Hom. III, n. 1.

⁴ I, q. XVI, a. 6.

ctus suam operationem in se, ex qua completur ratio veritatis. Unde dico, quod sicut est unum Esse Divinum, quo omnia sunt, sicut a principio effectivo exemplari, nihilominus tamen in rebus diversis est diversum esse, quo formaliter res est; ita etiam est una veritas, scilicet Divina, qua omnia vera sunt, sicut principio effectivo exemplari; nihilominus sunt plures veritates in rebus creatis, quibus dicuntur verae formaliter ¹.

VII. EX VERO NUMQUAM SEQUITUR FALSUM, ET EX FALSO NON POTEST PER SE SEQUI VERUM. Siquidem quoad primum, verum non potest connecti, nisi cum vero; unde quidquid iure infertur ex vero etiam verum esse debet. Ea enim, quae sunt eadem uni tertio, necesse est ut sint eadem inter se ². Hinc si in praemissis extrema cum veritate comparantur cum medio, in consequenti cum veritate secum connectenda sunt; ideoque si praemissae sunt verae, consequens necessario erit verum. Quoad alterum, ex falso non potest *per se* sequi verum, seu falsum non potest esse causa veri; falsum enim est nihil, et ideo non potest producere veritatem. Attamen *per accidens*, ex falso aliquando sequitur verum, quatenus nempe id, quod infertur ex falso, possit esse verum aliunde, non propter ipsum falsum; sive sequitur verum ex falso, non prout est huiusmodi, sed prout conceditur tamquam verum, ita ut ex concesso falso sequatur verum, non quidem tamquam ex causa veritatis, sed illationis; nempe, ut loquitur s. Augustinus, *non ex veritate sententiarum, quae, cum falsae sint, nullae sunt, sed ex veritate connexionis* ³. E. g., in hoc syllogismo: Omnis lapis est animal; sed homo est lapis; ergo homo est animal; consequens est verum, et tamen praemissae sunt falsae. Cuius ratio est, quia ea, quae sunt eadem inter se, non debent esse eadem cum

¹ In lib. I Sent., Dist. XIX, q. V, a. 2 sol. « Et si quidem recte consideremus, potestate una est virtus; accidit autem ut ea cum his quidem insit rebus, dicatur prudentia, in aliis autem animi magnitudo, vel iustitia. Eadem autem ratione, cum sit una quoque veritas, in Geometria, Geometriae veritas; in Musica autem, Musicae; et in recta Philosophia fuerit Graeca veritas »; Clem. Alex. Strom., lib. I, n. 20. Et Origenes: « Nec mirum est, si veritas, cum sit una, multas quasi veritates ab illa dicamus effluere »; In Ioann. c. VI, n. 2.

² Vid. p. 114-115.—³ De Doctr. Christ., lib. II, c. 31 et 32.

omni tertio; unde licet falsum sit duo extrema conclusionis esse eadem cuidam uni tertio, poterunt tamen esse eadem inter se.

VIII. VIOLENTUM NON EST PERPETUUM. *Violentum* dupliciter dicitur; primo, ex parte termini; secundo, non solum ex parte termini, sed ex parte principii, quod illum terminum producere potest. Primo modo violentum vocatur illud, quod caret aliquo bono, ad quod naturalem inclinationem habet, sed in tota natura non est aliquod principium, cuius virtute possit obtinere illud bonum. Hoc sensu dicitur caecus violenter detineri sine potentia videndi, et anima separata detineri sine corpore. Et hoc violentum, quatenus ipsae vires naturae considerantur, semper est perpetuum. Secundo modo dicitur violentum illud, quod caret aliquo bono, ad quod habet naturalem inclinationem, et simul est in ipsa natura aliquod principium, per quod possit illud obtinere; sicut cum ignis per violentiam detinetur deorsum, aut lapis sursum. Iam de hoc genere *violenti* dicitur *violentum numquam esse perpetuum*¹.

IX. VIRTUS CONSISTIT IN MEDIO. « Hoc, quod vult Philosophus, virtutem esse in medio, intelligendum est de virtutibus moralibus, non autem est verum de virtutibus theologicis² ». Et sane, virtus moralis consistit in medio *inter superabundantiam et defectum*³. Nam « virtutes morales sunt circa passiones et operationes, quas oportet dirigere secundum regulam rationis. In omnibus autem regulatis consistit rectum, secundum quod regulae aequantur; aequalitas autem media est inter maius et minus; et ideo oportet, quod rectum virtutis consistat in medio eius, quod superabundat, et eius, quod deficit a mensura rationis recta⁴ ». Virtutis autem *theologicae* « mensura et regula est ipse Deus. Fides enim nostra regulatur secundum veritatem

¹ Vid. s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 10 ad 1.

² *Ibid.*, *De Virt.*, q. III, a. 2 ad 10.

³ *Ibid.*, q. I, a. 13 c.

⁴ *In lib. III Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 3, *sol. 1 c.* Vid. p. 200-201, et p. 212. « Tene medium, si non vis perdere modum. Locus medius tutus est. Medium, sedes modi, et modus virtus »; s. Bern., *De Consid.*, lib. II; et alibi (*Super Cant.*, *Serm. LVIII*): « Medium vitiorum tenet virtus ».

Divinam; Charitas autem secundum bonitatem Eius; Spes autem secundum magnitudinem omnipotentiae et pietatis Eius; et ista est mensura excedens omnem humanam facultatem; unde numquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, aut sperare in Ipsum, quantum debet; unde multo minus potest ibi esse excessus; et sic bonum talis virtutis non consistit in medio; sed tanto est melius, quanto magis acceditur ad summum¹ ». Subdit autem sanctus Doctor, *quandoque aliquam ex virtutibus theologicis posse esse in medio per accidens*; scilicet « ratione eius, quod ordinatur ad principale obiectum; sicut fides non potest habere medium, et extrema in hoc quod innitatur Primae veritati, cui nullus potest nimis inniti; sed ex parte eorum, quae credit, potest habere medium et extrema, sicut unum verum est medium inter duo falsa. Et similiter spes non habet medium, et extrema ex parte principalis obiecti, quia Divino auxilio nullus potest nimis inniti, sed quantum ad ea, quae confidit aliquis adepturum, potest esse ibi medium, et extrema, in quantum vel praesumit ea, quae sunt supra suam proportionem, vel desperat de his, quae sunt sibi proportionata²»; vel etiam *per accidens* virtutes *theologicae in medio* consistunt³, quatenus exercendae sunt secundum mensuram conditionis naturae, et nostri ingenii vires, non vero nimio conatu, adeo ut corpus laedatur, aut nimium debilitetur. Siquidem, aiente s. Bernardo, « cum nullum finem, vel terminum habere debeat devotio amantis, tamen terminos suos et fines, et regulas habere debet actio operantis⁴ ».

X. VOLITUM NIHIL, NISI COGNITUM⁵.

XI. VOLUNTAS, SEU APPETITUS, EST REI UNIBILIS. Quod ita explicatur a Seraphyco Doctore: « Dicendum, quod appetitus absolutus, et deliberatus est rei unibilis et possibilis, et iste est appetitus cum eligentia. Sed appetitus velleitatis, qui est impossibile, non est rei unibilis secundum veritatem, sed rei quae desideratur, sicut aliquis

¹ 1^a 2^{ae}, q. LXIV, a. 4 c.

² 2^a 2^{ae}, q. XVII, a. 5 ad 2.

³ *Qq. disp.*, *De Virtut.*, q. IV, a. 1 ad 7.

⁴ *Serm. ad Fratres, De Monte Dei.*

⁵ Vid. *Ignoti nulla cupido*, p. 182.

appetit esse velox sicut hirundo, et similia. . . Si tamen aliquis contendat, quod appetit *voluntate eligentiae*, fatendum est, quod iudicium eius est perversum, sive aestimatio saltem intellectus practici, quo iudicat se ad illud posse pervenire, quamvis iudicium speculationis dictet contrarium ¹ ».

XII. VOLUNTAS ET INTELLECTUS SE INVICEM CIRCUMCEDUNT. Nempe, mutua est reflexio intellectus in actus voluntatis, et voluntatis in actus intellectus. Etenim voluntas, eiusque actus, et obiectum, prout sunt quaedam entia et vera, communi obiecto intellectus continentur, quippe quod omne ens, prout est verum, est obiectum intellectus. Vicissim, intellectus, eiusque actus, et obiectum, prout quaedam entia et bona sunt, obiecto communi voluntatis continentur, quia omne ens, prout est bonum, est obiectum voluntatis ².

FINIS

¹ In lib. II Sent., Dist. VII, p. I, a. I, q. 11 ad arg.
² Vid. p. 55.

INDEX DISTINCTIONVM

A

Abductio—Obiectio . . .	PAG. 232	Adaequate—Inadaequate . . .	PAG. 14
Ab intrinseco—Ab extrinseco . . .	1	Ad extra—ad intra . . .	ib.
Absolute—Accommodative . . .	2	Adhaesive—Inhaesive — Informative . . .	ib.
Absolute—Comparative . . .	ib.	Agere propter amorem finis—propter desiderium finis . . .	140
Absolute—Connotative . . .	ib.	Alienanter—Proprie . . .	276
Absolute—Dependenter . . .	3	Aliquid—Unum . . .	372
Absolute—Hic et nunc . . .	ib.	Alteratio—Accretio—Decretio . . .	14
Absolute—Hypothetice . . .	ib.	Ampliatio — Restrictio — Alienatio — Suppositio . . .	342
Absolute—Modaliter . . .	4	Analogia attributionis — Analogia proportionis . . .	15
Absolute—Totaliter . . .	5	Analogia proportionis—Analogia proportionalitatis . . .	16
Absolute—Ut sic . . .	375	Analogice — Aequivoce — Univoce — Denominative . . .	14
Absolutum — Relativum . . .	314	Analysis consequentiae—Analysis consequentis . . .	18
Abstractio formalis — Abstractio totalis . . .	5	Annihilatio—Corruptio . . .	148
Abstractio negativa — Abstractio praecisiva . . .	6	Antecedenter — Concomitanter — Consequenter . . .	18
Abstractive — Intuitive — Comprehensive . . .	ib.	Ante Praedicamenta — Post Praedicamenta . . .	266
Accidens — Substantia . . .	338	Antiquius — Senius . . .	331
Accidens logicum — Accidens physicum . . .	7	Appetitus elicited — Appetitus naturalis . . .	19
Accidens modale — absolutum . . .	8	Appetitus naturalis — sensitivus — intellectivus . . .	378
Accidens respectivum — absolutum . . .	ib.	Appetitus concupiscibilis — irascibilis . . .	19
Accidens speciei — Accidens individui . . .	ib.	Aptitudo positiva — negativa . . .	153
Accidentaliter — Essentialiter . . .	19	A quo — Ad quem — Cui . . .	19
Actio immanens — Actio transiens . . .	9	Argumentari a maiori ad minus — A minori ad maius — A simili . . .	ib.
Actio — Factio . . .	10	Argumentari a priori — A posteriori . . .	20
Actus — Potentia . . .	11	Artificiose — Naturaliter . . .	21
Actus essentialis — notionalis . . .	222	Ascensus terminorum — Descensus . . .	362
Actus hominis — Actus humani . . .	11		
Actus imperatus — elicited . . .	12		
Actus primus — Actus secundus . . .	12		
Actu signato — exercito . . .	13		
Adaequari — Aequale esse et assimilari . . .	13		